



Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.
Xenivm Academicae Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacrae & profanae historiae
à fine captivitatis Babylonicae & Hebraeorum Ducum ac Persicae
Monarchiae initio usque ad Christum natum

Gartner, Michael

Herbipoli, 1697

Scientiis & artibus celebres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

tium 17. dierum cum sex millibus mu-
rorum passibus * Antiochia * Lao-
dicia * Apamia * Cornetum * Luca *
Treviri; quanquam multò antiquio-
res natales suos hæc civitas jactet, un-
de potius hæc ætate reparata vel aucta
videtur, quàm primò fundata.

Refert Bergomensis in suo chroni-
co, plurimarum urbium hæc ætate con-
ditarum fundatorem Brennum fuisse,
Monuchi Anglorum regis filium,
ducem Gallorum Senonensium, qui
temporibus Artaxerxis sive Assueri,
cum exercitu trecentorum millium
Gallorum, patrio solo derelicto, in Ita-
liam venerit, & expulsis veteribus Tu-
scis urbes plerasque in ea excitavit.
Sed difficile est litem dirimere, & tot
urbibus pro antiquitatis prærogativa
certantibus, singulis certos natales de-
terminare.

*S. IX. Scientijs & artibus
celebres in V. mundi etate.*

ZENO ELEATES natus circa an-
num
F 3

num 3517. Philosophus fuit longè patientiâ suâ, quàm eruditione famosus. Is ut patriam servitute liberaret, adolecentes contra *Nearchum* tyrannum concitavit, sed re detectâ in crudelissimam laniam datus est; nullum tamen ex consciiis nominavit; denique cum se imparem deinceps tormentis timeret, civibus suis in tyrannicædem animatis, linguam dentibus conscissam in os tyranni exspuit; quo facto circumstantes commoti impetu facto tyrannum trucidârunt.

HIPPONACTES poëta circa annum m. 3519. optimus scriptor, sed vultu deformissimus, acerbissimosor pictorum, quos severè linguâ & calamo perstrinxit.

THESPIS poëta an. m. 3518. docuit Athenis dramata & tragœdiæ fundamenta jecit, usus plaustris pro theatro. Visa quidem primò inutilis tragœdia, sed ea postmodum deducit viros principes duritiem & impietatem,

PIN

PINDARUS princeps lyricorum natus an. m. 3534. cujus gratiâ patriam ejus græci hostes servârunt, & familiam ejus Alexander Magnus, cum Thesbas dirueret: sicq; tanti viri recordatio homines ferro & furore armatos repressit: scribitur mortuus fuisse in Gymnasio, cum in gremio pueri, quo unice delectabatur, deposito capite quieti se dedisset, sicque subito è vivis excessisse.

HERACLITUS Ephesus philosophus lugubris semper an. m. 3550. hic vocatus à Dario in Persidem, ire neglexit, nihil esse ratus philosophis cum magnis principibus commercij. Dicitur propter doctrinæ obscuritatem *tenebrosus*: à quo cum discipuli peterent in ultimo vitæ, ut aliquid notabile proferret, nihil respondit, sed digitum volvens significabat omnia in continuo motu esse.

EPICHARMUS & FORNIO flo-
ruerunt circa an. m. 3568. comædi
inignes, qui privatorum hominum

figendis moribus non inutilem operam collocaverunt.

HERODOTUS historię parentis appellatus circa an. m. 3570. de quo scribitur, Musas ore ejus locutas; tantę fuit eruditionis.

DEMOCRITUS *semper ridiculus* (cujus continuo risu videtur ludens natura continuum luctum Heracliti temperare voluisse) qui cum varias regiones scientię indagandę causã peragrasset, tandem doctissimus in patriam reversus, patrios agros & magnas opes reipublicę donavit, satius ducens, cum paupertate studiorum libertate lætari, quàm divitiarum fervili curã vexari: abdidit se in hortulo suo, ibique naturę arcana rimatus est. Oculos demum sibi ipsi effudit, ut minùs distraheretur. Vixit annos centum & novem. Multis libris conscriptis clarus fuit, dicere solitus: *convenientius esse, ut parcitatem in tuo serves, quàm luxum in alieno.*

Læte



Laërtius sex Democritos fuisse ait, quorum primus hic, secundus Chius, qui fuit musicus, tertius sculptor, quartus qui scripsit de templo Dianæ Ephesinæ, quintus Poëta, sextus pergameus orator.

ÆSCHILUS poëta tragicus, hic cum in aprico loco esset soporatus, & aquila testudinem in aëra levâisset, ut inde super lapidem demissam frangeret, eam super Æschili caput (quod propter calvitiam aquilæ lapis esse videbatur) tanto impetu impegit, ut fatali vulnere percussus vitam amisisset. Ut sexcentis modis homines mori posse docerentur.

SOPHOCLES Atheniensis poëta tragicus natus an. m. 3583. qui Æschilum vicit, ut Cimon iudicavit, præstantiâ poëseos; unde ex mœrore Æschilus in Siciliam secessit, ibique, ut dictum, testudinis jactu extinctus, Sophocles autem cum audisset se victorem esse, præ gaudio exspiravit.

SOCRATES Atheniensis philosophus natus an. m. 3585. adeo excelluit in

F 5

Phi-

Philosophia, ut Tullius de eo dicit
Philosophiam è cælo vocasse: fuit insuper
 castitate eximius. Symbolum ejus
 erat: *Amicus hominis sapientia illius, &
 inimicus hominis stultitia ejus.* Item,
qualis vis videri, talis esto; & sic age alie-
num, ut tuum negotium non obliviscaris.
 Accusatus ab *Anyto & Melito* læsæ
 pietatis in Deos, & corruptæ juventu-
 tis, eòquòd derideret quercum, hir-
 cos & canes Deos esse, ideò in carce-
 rem conjectus, & in eo haulto ve-
 neno defunctus est an. m. 364. cujus
 iniquissimæ actionis populum statim
 pœnituit, & omni irâ in criminatores
 versâ, eisdem capitis supplicium ir-
 rogavit.

THEMISTOCLES Atheniensis
 philosophus & miles fortissimus ac de
Xerxis 1200. navibus triumphator
 cum 100. triremibus tantum.

Hic urbis principatum anhelans rogavit
 cytharistam quendam celebrem, ut artem
 apud se in domo sua exerceret, ut sic do-
 mus sua à multis & præcipuis quibusque
 frequentaretur, quibus suâ eloquentiâ &
 libe-

liberalitate eò usque se commendavit, ut tandem principatum urbis obtineret, quo etiam magnâ laude & virtutum commendatione perfunctus est. Tantæ fuit magnanimitatis, ut cum aliquando victo fugatoque Xerxe ad visenda Persarum interfectorum corpora descendisset, & torques & armillas pretiosas adspexisset, præteriens ipse diceret amico, qui eum sequebatur: *Collige ista tibi, tu enim nequaquam Themistocles es.* Denique ostracismo expulsus est Athenis, de tribus accusatus: de nimia potentia, de severitate, & quòd Persis videretur favere; melius autem, quia ejus operâ Athenienses non ultra indigebant. Unde se cum arbore comparabat, sub qua tempore pluvio viatores latent, sereno cœlo autem ejus ramos diffringunt. Ejectus è civitate sua ad Persarum regem confugit, & ab eo, (quanquam maxima damna quondam intulisset) perhumaniter & honorificè exceptus est, ac demum post multas persecuciones suæ ætatis anno 65. an. m. 3593. voluntariam sibi mortem accivit hausto sanguine taurino, ne cogeretur contra patriam militare. Reverà pro patria mortuus quanquam ingratiſsimâ.

EURIPIDES poëta floruit cum Themistocle, castitatis laude ita emittit,

F 6

nuit,

nuit, ut vulgò *mulierum os* appellaretur.

THUCYDITES natus an. m. 3584 alter historiæ parens dictus, & quidem *Herodoto* multò accuratior: uti omnia procedente tempore meliora fiunt.

ARISTIDES *Atheniensis* philosophus circa eadem tempora floruit vir discretissimus & justitiæ amantissimus: unde nomen *justi* obtinuit. Ferunt illum tam inopem mortuum, ut suis sumptibus ad tumulum efferti non potuerit.

PROTAGORAS natus circa ann. m. 3610. cognominatus est *Atheos*, quia initio libri cujusdam ita scripsit de Diis: *sintne, an non sint, neque statueret; multa enim id scire prohibent, rei incertitudo & brevis hominum vita.*

Bajulus hic fuerat quondam, sed cum *Democrito* collocutus *Philosophiam* addiscendam humeris imposuit, cui par ferendo non erat; itaque factus est *sophista* abdicato *philosophi*

phi nomine, neutro dignus, sed ignibus, quibus libri ejus Athenis, accufante *Theodoro* quodam conflagrârunt. Fuerunt & alii duo *Protagoræ*, unus astrologus, & alter philosophus stoicus.

MELISSUS origine Samius, auditor *Parmenidis*, qui non docuit otiosam & inertem Philosophiam, sed regendis civitatibus accommodatam, & æque domi, quàm militiæ bonus fuit philosophus & miles.

ANAXAGORAS philosophus *Clazemensis*, qui studendi ductus desiderio, totum patrimonium suum reliquit, & peregrè abiit. Ubi cuidam interroganti, nonne tibi patria cura ulla est? respondit, *michi patria cura est & summa quidem, atq; ita* dicens, digitum cælum versus erexit. Cumque in patriam reversus vidisset possessiones suas interiisse: *non essem*, aiebat, *ego salvus, nisi ista perissent*. Interrogatus ad quid factus esset? *ad contemplandum*, dixit, *solem & lunam & cælum*.
Ad

Ab Atheniensibus in carcerem con-
 ductus est, quia solem, quem illi pro Deo
 colebant, lapidem ignitum esse dice-
 bat: carceris squalore semiconsum-
 ptus epoto veneno vitam finivit.

EMPEDOCLES Philosophus
 Atheniensis cum Anaxagora floruit.
 Musicæ adeo peritus fuit, ut hominem
 furibundum in hospitem suum irru-
 entē ad occidendum, suavitate cantus
 moverit, & mitigatā iracundiā à nece
 abstraxerit. Deum ita describere so-
 litus: *Deus est sphaera, cuius centrum est
 ubiq; circumferentia nusquam.* Arbitra-
 tus deniq; animas esse immortales, se-
 metipsum in incendium coniecit.

CRATINUS Atheniensis quidam
 poëta comicus & satyricus fuit.

HIPPOCRATES medicorum
 princeps natus an. m. 3618. in insula
 Coo: hic medicinam longo tempore
 deperditam in usum revocavit, in
 eamque rem multos libros conscrip-
 psit. Hostis fuit voluptatum, & cum
 discipulos suscipiebat, prius ab eis ju-
 ramentum

ramentum exposcebat, quod essent
servaturi silentium inconcussum &
mansuetudinem & modestiam exhi-
bituri in moribus. Modici cibi fuit,
& cum quiesceret, terram aspicere so-
licus, & dicere sæpe auditus est: *qui vult
liber esse, non cupiat quod habere non po-
test: qui vult habere, quod cupit, cupiat
quod habere potest: qui vult pacificè in hac
vita vivere, similis fiat illi, qui ad convi-
vium invitatur, & de omni apposito gra-
tias agit, neq; de rerum defecta murmu-
rat.* Mortuus est, cum esset 95. anno-
rum.

GORGIAS philosophus Empe-
doctis discipulus, tam dives effectus
est quæstu tradendæ oratoriæ artis, ut
primus hominum solidam auream sta-
tuam in templo Delphico statuerit.

ZENO CITHREUS philosophus
insignis fuit hæc ætate, de quo Laër-
tius scribit: cum esset adhuc parvu-
lus, oraculum consuluisse, quo pacto
optimè viveret; & responsum accepit.
ut magno studio libros perlegeret.

Fa-

Factus Cratini discipulus, magnæ
mæ fuit.

ZENO alius stoicus fuit tempor
Ptolomæi Philadelphi, auctor stoicæ
sectæ, cujus sententia erat, posse omnes
perturbationes mentibus hominum eradi-
cari. Summum id bonum esse, quod bo-
nestum est. Nihil deest ad rectè vivendum
ei, in quo virtus est. Tanto in honore
fuit apud Athenienses, ut claves ur-
bis apud eum deponerent, & post
mortem ab eisdem coronâ aureâ æreâ-
que statuâ decoraretur. Zenones se-
ptem fuerunt, primus, secundus & ter-
tius de quibus supra: quartus histori-
cus, qui Pyrrhi res gestas scripsit in Ita-
lia: quintus Chryssippi discipulus: sex-
tus medicus acutæ intelligentiæ:
septimus sydonius philosophus Epi-
cureus.

ISOCRATES Atheniensis philo-
sophus natus an. m. 3618. septennio
ante Platonem orator clarissimus, cu-
jus laudes meliùs scripta, quàm alius
quivis celebrare queat. Dicere con-
sue-

fuetus: talis fias parentibus, quales erga te
natos fieri peroptas, & magis verborum,
quam rerum deposita serua. Anno vitæ
centesimo mortuus est, inquit Plu-
tarchus, cum in Hippocratis palæstra
nuncium de Chæronensi clade acce-
pisset; non enim sustinens videre Græ-
ciam in servitutem iterum redactam,
quadriduanâ inediâ se ipsum è vita
eduxit.

XENOPHON philosophus &
simul insignis imperator exercitûs
Atheniensis. Patrem habuit *Gryl-
lum*, patriam Athenas, quanquam diu
quoque vixerit Corinthi. Vir fuit
verecundus & mirum in modum spe-
ciosus, pari que gratiâ præditos habu-
it duos filios, *Gryllum* ac *Diodorum*,
quos ex *Philefia* suscepit, dictique sunt
Iovis filij, tanquam *Castori & Polluci* pa-
res essent venustate. Formæ Xeno-
phontis respondebat eloquij elegan-
tia, ob quam *Aspis Attica* dictus est,
& videbatur cultus ipse commendare
orationem, ut verum sit, *gratior est pul-
chro*

chro veniens in corpore virtus. Motuus est nonagenarius factus, anno m. 3694.

ARCHITA TARENTINUS philosophus Pythagoricus. Hic Platonem philosophum à Dionysio Siracufano necandum ex manibus ejus eripuit, dicere solitus: *nulla pestis capitalior est, quam voluptas corporis.* Fuerunt & alij Architæ, unus *Mytilenus*, alter, qui scripsit de agricultura: tertius epigrammatum scriptor: quartus qui Architectus fuit, & de machinalibrum edidit.

PLATO Græciæ & philosophorum magnum lumen, natus anno m. 3626. ante Chr. 427. genus paternum traxit à *Codro rege*, & maternum à *Solone*. Variis scientiis imbutus à variis præceptoribus & magistris, excellens in omnibus; unde & *divinus* appellatus est, propter oracula sapientiæ singularis. Laudatur à S. Augustino quòd ipse acutiùs & veraciùs præ omnibus aliis philosophis Philosophiam

gentium intellexerit. De vero Deo
hoc eius effatum fuit: *quòd sit causa sub-*
stentandi, ratio intelligendi, & ordo viven-
di. Varia quoque scripsit & reliquit
monumenta verâ doctrinâ refertis-
sima.

Obiit anno ætatis 81. occumbens
innuptiis An. m. 5706. Secta, quæ ab
ipso defluxit, dicta est *Academica*, de
quâ etiam Aristoteles fuit princeps Pe-
ripateticorum.

DEMOCEDES medicus Croto-
niata illustris, iisdem cum Platone
temporibus floruit. Inter *Darij* capti-
vos existens, cum *Darius* acerrimis pe-
dum doloribus cruciaretur, & ex me-
dicis nemo opitulari posset, ex vinculis
accerfitus, *Democedes* iuvit; propterea
maximo deinde apud Regem in ho-
nore habitus est.

ANTISTHENES philosophus
Atheniensis & orator. *Hic*, ut testa-
tur de eo Augustinus, *summum bonum*
in virtute posuit. Cujus sententia fuit
in-

inter alias tritissima: *in scitia est multa
discere, & quod satis est, nescire.*

ARISTIPPUS philosophus Cyrenus, *Socratis* discipulus, qui summum bonum in voluptate constituit.

EPICURUS Athen: discipulus *Socratis*: docuit animas cum corporibus interire: ideoq; voluptatibus fruendum tanquam summo bono. Auctor sectæ *perversissimæ* Epicureorum.

POLYSTRATUS discipulus *Epicuri*, non melior magistro, qui eodem die cum *Epicuro* natus & eodem mortuus.

SPEUSIPPUS *Platonis* ex *fore* nepos, postquam *platonicae* scholæ octo annis præfuisse, *Epicureæ* sectæ discipulū se dedit. Obijt demum à *pediculis* enectus: *cujus* libros conscriptos *Aristoteles* emit duobus talentis.

HERMIAS eunuchus philosophus, ex *Asiæ* quadam urbe natus, *trapezita* *cujusdam* viri famulus, *Athenas* profectus, cum *Platonem* audivisset, doctissimus evasit, & domum *regre-*
ius

fus unà cum domino suo Affenenses
aggreditur, quos omnes sibi subegit,
& ipsis unà cum domino suo impera-
vit, quo mortuo solus dominatum ad-
eptus est. Aristotelem & Xenocra-
tem ad se accersitos plurimum hono-
ravit, & Aristoteli fratris filiam uxo-
rem dedit.

DIONYSIUS ludimagister fa-
ctus, postquam defuncto patre *Dio-
nyso* Syracusano regnum occupasset
& propter tyrannidem eodem extur-
batus esset. Vir omnium turpitudi-
num plenus. A Syracusis pulsus Co-
rinthi pueros docere cæpit, regnante
Artaxerxe. Sic cum regnare non posset
viris, voluit saltem in pueros tenere
imperium, de quo Ovidius canit:
Ille Syracusia modo formidatus in urbe,

Vix humili duram reppulit arte famem.

DIOGENES CYNICUS dictus,
quòd canino dente homines carperet,
& os deforme, velut canis rictum
præferret habitare solitus in dolio.

Mor-

Mortuus eodem, quo Alexander, anno, ætatis suæ nonagesimo
Vir ambitiosæ paupertatis, & fastum
aliorum fastu proprio calcare con-
suetus.

ARISTOTELES natus an. m. 3670
filius *Nicomachi*, qui genus & artem
referebat ad Machaonem *Æsculapij*
filium, matre Phæstide Chalcidensi;
patriam habuit Stagiram in Macedo-
nia, quam nomine suo & gloriâ illa-
strem reddidit. Discipulus Platonis
postmodum vix non factus supra ma-
gistrum, auctor sectæ Peripateticæ,
qui & Alexandri Magni per octo an-
nos præceptor esse meruit. Cum in
Lycaeo multos annos docuisset, ex
invidia accusatus, quòd de Diis non
rectè sentiret, veritus ne sibi idem
contingeret, quòd Socrati, in Chalci-
dem abiit. Plurimis operibus de
Philosophia conscriptis clarissimus.
Mortuus anno ætatis 63. an. m. 3730
scribunt nonnulli, quòd aconito hæ-
sto interierit, cum in jus vocatus esset

ob hymnum in Hermiam eunuchum scriptum. Fabula est, quod seipsum in mare præcipitem dederit.

DEMOSTHENES triennio Aristotele junior, natus an. m. 3673. & eodem anno, quo Aristoteles mortuus est. Ignobili quidem natus origine, vultu tamen, voce, gestu, totiusque corporis pondere & sententiarum gravitate in dicendo fulmen & Jupiter eloquentiæ fuit. Quod adversus Philippum Macedonum regem Athenas obsidione prementem perstiterit civitas, debuit Demostheni. Ab Archia Antipatri duce satellitum manu comprehensus in Neptuni delubro in Calauria, cum se Antipatro sistendum audiret, *sustinete paulisper*, inquit ad satellites & ducem, *donec domum nonnihil scribam*. Sic fatus ad interiora templi recessit, & sumpto libello, quasi scripturus, calamum imbutum veneno ori admovit, eumque mordens aliquam diu in ore tenuit, ut aliàs, velut
medi-

Alexa
agesime
& factum
are con-
m. 3670
& artem
viculapij
eidentis
Macedo-
ria illa
Platonis
upra ma-
pateticæ
octo an-
Cum in
isset, ex
Diis non
bi idem
Chalcid-
ribus de-
rissimus.
p. 373
ito hau-
tus esset
ob

meditabundus facere confluverat
tum caput obvolutum reclinavit, &
cùm ad abeundum adigeretur, ante
aram transiens concidit, animamque
efflavit.

BION Syracusanus, nobilis phi-
losophus, quia in utraque *Dionysij ty-*
rannide complicatus fuit, & affinitate
conjunctus, apud Syracusanam urbem
interemptus est.

CARMEIDES philosophus Dio-
genis auditor. Hic adeo studiis im-
mersus erat, ut cùm ad mensam sede-
ret cogitationibus suis abreptus, cibos
ori apponere oblivisceretur, sed Me-
lissa, quam uxorem habebat, dexteram
ejus ne effariis usibus coaptabat; ani-
mo cum vita fruebatur, corpore verò
quasi alieno circumdatus videbatur;
vivendo annos centum traduxit.

ÆSCHINES philosophus & ora-
tor Atheniensis & pauper, qui cùm
nihil haberet, quod offerret Socrati
magistro suo, aliis liberaliter offeren-
tibus, se ipsum obtulit, dicens, quod
ha-

habeo, hoc tibi do. Laërtius septem
fuisse ait, qui hoc nomine appellantur.

XENOPHILUS philosophus Py-
thagoricus summâ doctrinæ laude
vixit annis 105.

PHEDRON philosophus Eliden-
sis Socrati & Platoni familiaris, cujus
nomine Plato librum de animæ im-
mortalitate prænotavit.

XENOCRATES Chalcedonensis
philosophus & Platonis auditor: in-
signi gravitate morum fuit, & doctri-
næ quoque severitate ac constantiâ.
Ejus inquietandi causâ nobile scro-
tum *Philene* à leviculis quibusdam in
cellam ejus immissa est; sed cum nihil
ab eo impetrâisset vel suæ vel aliorum
levitati, à quibus immissa erat, confi-
mile, & votis correspondens, disce-
dens à Xenocrate, dixit *se non à viro,*
sed à statua redire. Omnis fastûs singu-
laris contemptor fuit.

Mortuus est noctu, cum in sartagi-
nem fortè impegisset, anno ætatis suæ
& Plato de Xenocrate dicere solitus:

G

hunc

hunc calcaribus, Aristotelem, quem Xenocrates condiscipulum habebat, frano indigere; adeò erat ingenio & moribus gravis & tardus.

HERMEGISTUS (qui & *Trimegistus*) Platonis olim discipulus fuit: docuit Deum esse unum rerum conditorem, & majores suos damnavit erroris, qui statutâ Deorum pluralitate, homines mortuos adoraverunt. Dicitur quoque *Mercurius*, quia orator insignis erat, & librum scripsit de *Verbo perfecto*: eloquentia autem per *Mercurium* proponitur, cui alæ appinguntur, eò quòd verba, quæ loquimur, per aërem volent.

APULEJUS *Apher* discipulus Platonis, libris clarus: inter cæteros scripsit unum, quem *asinum aureum* intulavit, & unum de Deo sacratis, de iis qui Deo sacrati sunt, cuius meminuit S. Augustinus de civitate Dei de Cosmographia; de paupertate &c. sententia ejus erat, *nihil est Divinus, quàm vir animo perfecte bonus.*

PLOTINUS discipulus Platonis,
& præceptor Porphyrii, vir ad omnia
virtutum ornamenta compositus, ju-
stus, fortis, temperans & prudens;
unde & librum de virtutibus edidit.
Docuit, sicut habetur lib. 20. de civi-
tate Dei cap. 2. *Animam rationalem,*
quam in cœlestibus sedibus habitare
non dubitavit, *non habere supra natu-
ram, nisi Deum, qui sicut sol illuminat lu-
nam, ita illustret animam.*

DEMAS Atheniensis philosophus,
quando Athenienses Alexandro post
civitatem traditam sacrificare volue-
runt, illud auctoritate suâ impedivit,
ne fieret, dixitque, *videte ne dum cœlestem*
custoditis, terram amittatis.

CALISTHENES insignis philo-
sophus, discipulus Aristotelis, dicere
ausus ad Alexandrum: *si Deus es, bene-*
ficia mortalibus largire, & non sua eripe:
si homo es, cogita semper id, quod es. Pro-
pter quod iratus Alexander eum in fo-
ream cum cane includi, & sic miserè
occidi iussit.

*Aliis quibusdam rebus ce-
lebres hęc etate,*

POLYCRATES circa an. m. 3522.
à felicitate & fortuna celebratissi-
mus, Sami tyrannus fuit, fortunę fi-
liolus, quam ita faventem sentiebat,
ut felicitatem ipse suam temperandam
censuerit: itaq; annulum magni pre-
tiji, quem in digito ferebat, projecit in
mare, ut saltem sponte aliquid per-
deret, verum paulò post idem annu-
lus in ventre piscis à piscatore reper-
tus, eidem restitutus est, majori fortu-
næ beneficio. Captus tamen, & cru-
deliter tandem à Persis in crucem
actus & necatus, ante obitum felicem
neminem dicendum esse ostendit,
& fortunam, quos arctius stringit &
complectitur, sæpè suffocare.

MILO CROTONIATES ab-
leta gloriosus circa an. m. 3522. tan-
tæ fuit fortitudinis, ut malum puni-
cum integrum & illibatum à plurimis
viris sibi eripi non sineret. In siten-

disco peruncto, à nullo potuit excuti
quâlibet factâ impressione. Bovem
& statuam æneam sibi magnitudine
parem humeris extulit, tandem tamen
factus est præda dentibus luporum.

RHODOPEs meretrix fuit cele-
bratissima & miræ pulchritudinis.
Hæc captiva reportata in Ægyptum
à Crasse Saphonis fratre, maximâ pecu-
niâ redempta est; & tantas hæc me-
retrix suo turpi commercio opes con-
flavit, ut apud Memphym Pyrami-
dem sumptuosissimam exstruxerit.

ZEUXIS HERACLEOTES vixit
temporibus Xerxis, præstantissimus
pictor, arte suâ tantas opes acquisivit,
ut instituerit donare opera sua, eo quod
pretio nullo sat digno permutari pos-
se diceret. Inter cætera mirabilia
pinxit, ut Plinius refert, puerum uvas
ferentem; ad quas cum aves advo-
larent, processit iratus, & dixit, *uvas
nullius pinxi, quàm puerum; nam si hunc
vire elaborâssent, ipsum timuissent.* Dici-
tur

G 3 tur

tur à Quintiliano *umbrarum magna*
Inventor.

PARRHASIUS EPHESIUS circa eadem tempora pictor nobilissimus, certavit cum Zeuxide picturæ peritiâ; cùm enim Zeuxis uvas exhibuisset tanto artificio pictas, ut aves advolarent, Parrhasius detulit cortinam adeò consimilem veræ lintæ cortinæ, ut Zeuxis cuperet removere cortinam ad picturam ipsam latentem contemplandam. Sed deprehenso errore suo, palmam ingenuò pudore concessit Parrhasio, quoniam ipse aves fefellisset, Parrhasius autem Zeuxidè,

TIMANTES præcipuus inventor colorum miscendorum.

PHIDIAS statuarius clarissimus, cujus opus præstantissimum & miraculum artis fuit statua Minervæ, ex ebore elaborata Athenis, in cujus extimo scuto Amazonum prælia, in concavitate scuti dimicationes gigantum, in soleis autem Lapitharum &

Centaurorum pugnas, in basi triginta
Deos miro artificio exculpfit.

HEROSTRATUS natione Græ-
cus, homo scelestus & ignavus, qui
Ocho regnante, ut famam sibi com-
pararet, templum Dianæ Ephesi ac-
cendit & incineravit: quo audito sena-
tus Ephesius decretum tulit, ne quis
unquam ejus nomen litteris mandaret:
dignam sanè supplicium, sed minimè
obleratum.

POLYDAMAS athleta fortissimus
circa an. m. 3646. hujus famâ *Darius*
permotus, videre eum voluit, & Surâ
evocavit. Hic tres viros valentissi-
mos in se simul irruentes pugnis &
calcibus interemit; inermis leonem
præferocem confecit; currum cum
equis incitatis retinuit; demum spelun-
cæ ruinâ oppressus est fugientibus
aliis, cum se parem monti sustinendo
imprudenter crederet.

DINOCRATES Alexandri Magni
insignis architectus: hic jubente Ale-

xandro & Alexandriam in Ægypto
metatus est, & instaurationi templi
Ephesini Dianæ præfuit.

005 500 005 500 005 500 005 500 005 500 005 500 005 500

S. X. *Bella & bellis clari.*

Judæi septuagenariâ Babylonica
captivitate valde attriti & humilia-
ti sub jugo Persico, hâc ætate à bellis
inferendis conqueverunt: gentis suæ
reliquiis colligendis, urbi temploque,
& suis simul viribus reparandis inten-
ti, arma non sumpserunt, nisi forte ad
defendendos se adversus Samaritanos.

Igitur tantum memorabilia bel-
la, quæ apud gentes hâc ætate gesta
sunt, hîc referuntur.

Anno 3523. Cyrus à Tomyri Massa-
getarum regina (habitabant Massa-
getæ ad mare Caspium Araxe amne
conclusi) cum inæno exercitu cæsus.

Anno m. 3526. Cambyses *Persarum*
regem in vincula conjecit, &
in custodia suburbana Memphireten-
tum;